

**Quilchra.** deciduas; & fructus ad varios mensæ, ac valetudinis usus opportunos, qui ad esum, ad illuminationem, & ad unctionem valent. Unde non solum per se speciosa est, maximè, ut arbitror, in Palæstina, sed fructuosa valde. Hinc in litteris inspiratis, solet oliva proverbialiter sumi pro re speciosa, abundante, & utili. Sic sumitur à Siracide nostro hic: *Quasi oliva speciosa in campis.* Et cap. 50. 11. *Quasi oliva pullulans.* Syrus, *Quasi oliva decora.* Tigurina, *ut oliva elegans, & fructifera.* Jerem. 11. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocavit Dominus nomen tuum.* Et Oleez 14. 7. *Erit quasi oliva gloria ejus.* Sunt etiam non pauci, qui arborum pulcherrimam, seu decoris, aut pulchritudinis, de qua Levit. 23. 40. interpretentur oleam: nam 2. Esdræ cap. 8. 15. ad festum scenopægiæ adjunctæ leguntur *frondes Olivæ.* Et pro frondes ligni pulcherrimi Hebraicè est *semen*, quod *Oleum*, seu pinguedinem sonat, id est, ligni pinguis.

1627 *Secundò*, olivis longissima data ætas apud Plinium lib. 16. cap. 45. *Firmissima ad vivendum olea, ut quas durare annis CC. inter auctores conveniat.* Et c. 40. dixerat, quòd *carriem vetustatemque non sentiat.* Eapropter Deorum simulachra ex olea fabricabantur: unde Cicero lib. de legibus; *Nisi forte Athenæ tuæ sempiternam in arce oleam tenere poterunt.*

*Tertiò*, de Olivæ plantatione sic præcipit Cassius Dionys. l. 9. de Agricul. cap. 6. *Cum plantatio sit olearum, locos purgare oportet, in quibus earum plantationem instituumus, & quidquid est alterius generis, eximere, & murum, aut sepem circumdare.* Rutilius Taurus lib. 1. de Rustica cap. 6. *Græci jubent, oliva cum plantatur, & legiur, à mundis pueris & virginibus operandum. Credorecordati arbori huic esse præfulem castitatem.* Et certè Cassius Dionys. c. 1. lib. 9. celebrem Olivæ Atheniensis productionem Virgini Minervæ ex fabulis attribuit. *Minerva Oleam in arce produxit floridam & fructuosam, & ex hac coronata & ab omnibus conspecta vicit.* Meminit fabulæ Plinius lib. 16. c. 44. Tertullianus de Corona militis cap. 12.

1628 *Quartò*, Oliva arbor est Sapientiae sacra, & sapientiae symbolum: Ethnici enim Olivam à Minerva sapientiae Dea editam fabulati sunt, quando de Atheniensis urbis conditione, & nomine cum Neptuno contendit, uti proximè dicebamus: & cum singulis ferè Diis plena superstitionis antiquitas singulas propè arbores consecravit, Minervæ dicata est olea. Sed & in nostra etiam antiquitate Sapientiae dicatam Olivam comperimus: duos enim Cherubinos, id est, sapientes, de lignis Olivarum 3. Reg. 6. 23. in divino oraculo fabricatus est sapientissimus Salomon. Agnosceit Olivam sapientiae symbolum Sanctus Ambrosius in ramo columbæ oleagino lib. de Noè & arca cap. 19. & Origenes in oleo decem Virginum Matth. 25. Hom. 32. Rationem inde sumimus, quòd oliva luminis sit arbor, uti Sanctus Hieronymus Epistola ad Oceanum vocat, dum de ramo illi à columba Noëtica delato scribit. Sicut enim oliva lumen oleo fovet, & alit, ita sapientia veritatis lucem doctrina nutrit.

1629 *Quintò*, claret ex sacris, & humanioribus litteris, oleam esse pacis, clementiae, pietatis, & misericordiae symbolum; uti observant sacri Interpretes, & Doctores ad locum Geneleos 8. 11. ubi de Olivæ ramo à columba

in arcam deducto: unde Noëmus *collegit misericordiae insigne divina*, ut loquitur Ambrosius. Hanc eandem significationem symbolicam habent duæ illæ Olivæ, de quibus Zachar. 4. 3. & Apoc. 11. 4. nam pro *duo filii Olei v. 14.* seu, quod idem est, *duæ Olivæ*, vertunt LXX. *Hi sunt viri misericordiae*; qui misericordiae fructibus abundant; & qui Cherubinis à Salomone fabricatis ex lignis Olivarum significantur 3. Reg. 6. 23. Unde ex oliva fieri simulachra Deorum Brixianus putat, ut portendetur benignitas, misericordia, & clementia, qua maximi illi præditi sunt, quamque ab eis exstulamus. *Arborem ministræ pacis* Rupertus vocat lib. 5. de divinis officiis cap. 16. *Arbor pacis insigne* appellatur à Sancto Isidoro lib. 17. Etymol. cap. 7. Tertullianus de Corona militis cap. 12. causam dedit; quia nimirum Minerva olèa coronata pacem inivit cum Neptuno. *Quin & olea militiam coronari à Minerva, non solum artium, sed armorum quoque Dea; & pacem cum Neptuno iniisse, ex hoc arbore coronatam.*

*Sextò*, Oliva Regia arbor est, & in Sylvis principatum tenens. Horatius lib. 1. Od. *Undique decerpæ frondi præponere Olivam.* Ideò cum de formanda Monarchia ligna tractarent, post consultationem de Rege placuit dare scepra Olivæ; unde ad eam primo loco Imperium in arbore defertur Judic. 9. 8. vide ibi nostrum Serarium.

*Platanus in plateis; & ejus commendatio.*

1630 **H**ic ultimum tenet locum *Platanus*, *Platanus* arbor commendatissima. Primò ab altitudine: *Secundò* à ramorum latitudine. Unde illud Martialis lib. 9. Epig. 49. de Platano Cordubensi fata Cæsaris manu.

*Ædibus in mediis totos amplexa penates* Stat *Platanus densis Cæsariana comis.* Auctorem, Dominumque suum sentire videtur, Sic viret, & ramis sidera celsa petit.

Et S. Isidorus lib. 17. cap. 7. *Platanus à latitudine foliorum dicta, vel quòd ipsa patula sit, & ampla; nam παλάτις Græci latum vocant.* Quòd spectat ea translatio, quæ pro *exaltata sum*, legit dilatata sum.

*Tertiò*, commendatur *Platanus* à foliorum amplitudine, & forma. Amplitudo eximia est: forma verò scutorum, & peltarum instar, ut Hugo Carenensis hic observat. *Quot habet folia, tot habet senta.*

*Quartò*, radices fundit adeò latè, ut M. Varro scribat lib. 1. de Rustica cap. 37. *Aliæ radices diffunduntur latius, ut Platani, usque eò, ut Theophrastus scribat, Athenis in lyceo, cum etiamnum Platanus novella esset, radices trium & triginta cubitorum egisse.*

1631 *Quintò*, *Platanum calibem* dixit Horatius lib. 2. Od. 15. quòd alterius arboris mationem non ferat. Unde *arbor casta* appellatur à Brixiano in Symbolis.

*Sextò*, latè suum diffundit odorem. Plato in Plato. Phædro, *Platanus ista* (sub qua cum amicis disputabat) *patulis admodum ramis, & procerata est, & altitudo verticis illius, opacitasque pulchra nimium, & amæna, ac præcipuum nunc habet florendi tempus, ut omnis circum locus suavitate compleatur odoris.*

*Septimò*, gratissima Platani umbra celebratur Vatum maximè ingenio. Plinius lib. 12. c. Plin. 1. *Commendatio Platani non alia major est; quam*

*quàm solem æstate arcere, hieme admittere.* Aristonæus Epist. 3. *Ibi Platanus densa ramis, opaca umbra, aura modica, herba mollis, & tempestate æstiva florere docta, consedimus humi* Claudianus in Honori Epithal. *Cum post labores sub Platani cubes virentis umbra.*

1632 *Octavò*, commodissima Platani umbra ad convivia, ad disputationes, Maro Georgic. 4. *Jamque ministrantem Platanum potantibus umbram.* Et Ovid. lib. 2. Od. 11. *Cur non sub alta vel Platano potamus uncti?* Plinius proximè relatus scribit, Licinium Consulem epulatum esse intra Platanum cum 18. convivis, largè ipsa toros præbente fronde. Meminit etiam Cai Principis in Veliterno rure cum 15. convivis in Platano cænantis. Idem commemorat, in Lycia Platanum fuisse, intra quam esset specus, ubi 19. viri cænant. Sub Platano etiam Cicero, & Plato suas fingunt disputationes. Et Plinius loco relato Platanos commendat, ubi postea factum gymnasium. Ac deinde subtextit: *Celebrate sunt primium Platani in ambulatione Academiae Athenis cubitorum XXXV.*

*Nonò*, adamat Platanus gelidi fontis aquas, ut observant Plinius memoratus, & alii multi; ad tot enim, tantosque ramos, & folia a-lenda, multo indiget humore: propterea dicitur *exaltata juxta aquam, nutrita, vel eve-ctæ ab aquis.*

*Decimò*, ex Plinio lib. 24. c. 8. *Platani ad-versantur vespertilionibus.* Vel ex veteri alia lectione, *scorpionibus.* Addit: *Pilule earum in vino potæ, omnibus serpentium, & scorpionum venenis medentur, item ambustis.*

De quo etiam Dioscorides lib. 1. cap. 91. & Pierius Hierogl. 25. ait: *Platani folia arcent vespertiones, & noctuas.*

**SECTIO XXXIII.**

*Aliorum Interpretationes præstantur circa prædictos versiculos.*

1633 **P**rima Carthusiani, Jansenii, Palacios, & aliorum recentiorum interpretatio est, adduci ab Incarnata Sapientia, & ejus Genitrice eas arborum & plantarum similitudines, ut ostendant, sibi competere excellentiori modo quiddid in creaturis est excellentiae, sublimitatis, gloriæ, & commodi. Cum enim de prædictis arboribus & plantis tot evulgentur præconia, five ad illarum proceritatem, rectitudinem, pulchritudinem, incorruptibilitatem, odorem, viriditatem; five ad illarum utilitatem, umbram, medicamina, fructuum suavitatem, & ubertatem spectantia, ea omnia perfectissimè se habere ajunt Christus & Deipara; atque eapropter multipliciter exaltari in populo Israelitico, vel potius in Christiana Ecclesia. Addit Palacios argutè quidem: *Adverte, Cedrum, Cupressum, Palmam, Platanum, celsissimas arbores esse. Sed Cedro convenit immortalitas, Cupresso rectitudo, Palma victoria, Platano jucunditas umbra, Olivæ præmium olei, Rosæ odoris gratia.* Hæc igitur universa sibi adscribit Sapientia, scilicet quòd cum sit rerum omnium celsissima, sibi convenit melior immortalitas quàm Cedro, melior rectitudo quàm Cupresso, melior vincendi potestas quàm palma, melior umbra (id est, protectio, favor, auxiliium) quàm platano, odor jucundior quàm rosæ, majus misericordiae suæ præmium quàm Olivæ. Subtextit continenter quod ad nostrum argu-entum, *de Flores in Eccles.*

menti illustrationem observatum velim: *Et quia Christus quod habet dat, idè immortalitatem dat suis, rectitudinem justis, victoriam pugnantibus, afflictiis sole tentationum umbram sua protectionis, devotis æternitatis odorem, demum omnibus suæ misericordiae Oleum largitur.* Quod dictum similiter existimes de Deipara Virgine.

1634 His accedit Sanctus Isidorus lib. 4. S. Isidor. Epist. 228. ubi ita: *Salomon Sapientiam quasi personam representans, cum non inveniret quo pacto per unum aliquod exemplum, aut unam plantam, ipsius pulchritudinem, sublimitatem & suavitatem exhiberet; vagatus per omnia gignentia, & ab unoquoque colligens id quod maximè conveniens, & decorum erat, ad eam representandam, ita eam hominibus adumbravit, ut ab hac quidem planta pulchritudinem, ab alia sublimitatem, ab alia odoris suavitatem ac fragrantiam mutuatus, occasionem præberet aliquid cogitandi quod sapientiæ dignum est.*

Lyranus sentit, dici divinam Sapientiam Litanus; exaltari in populo Israelitico vel Christiano, illarum arborum ad instar, per augmentationem divini cultus: atque hic poni plura exempla ad exprimentum augmentum donorum spiritualium.

1635 Hugo Carenensis poni existimat has arbores in designationem donorum, quibus Christus repletus fuit à suæ Incarnationis momento Isai. 11. 1. Et poni etiam illa arborum loca in designatione diversorum statuum Ecclesiæ, vel sanctorum; in commendationem sapientiae, id est, Christi, & membrorum ejus. Et in expositione pro Beata Virgine, ait, ibi Deiparam se comparare horto vel viridario, ut sit spes, & letitia claustralium. Quæ verba ne te prætereant ad nostrum argumenti fulcimentum.

1636 Aliter Fuldenis Abbas Rabanus Maurus æquè doctus ac pius in Commentariis ad Ecclesiasticum. *Hæc igitur, ait, nomina arborum, & montium conveniunt eminentioribus Christi membris, qui cum Apostolo dicere possunt: Christi bonus odor sumus Deo; & nostra conversatio in cælis est: & quis nos separabit à Charitate Christi? Itaque ille tum montium, tum locorum significata, proprietates, & commoda rectissime adaptat sanctis Ecclesiæ Doctoribus, Martyribus, Virginibus, virisque aliis sanctitate prælustribus, in quibus, & per quorum vitæ rationem multipliciter Christi gloria effloret, totoque orbe resplendet. Consonat Radulphus Ardens scriptor verustus & eruditus Hom. in Assumpt. B. Virginis in Tomo Homiliarum ab Alcuino Flacco collectarum. *Cum divina Sapientia non possit esse major, vel altior, quàm semper fuerit, quomodo dicit se esse exaltatam? Non quia in se, sed quia in suis, dum eos exultat, exaltatur. Divina quippe Sapientia facit quòd sancti à vitiis surgentes, in alto virtutum se collocent, & quòd virtutum virtuti, bonum bono accumulent. Et hoc est, quod dicit: Quasi Cedrus, &c.**

1637 Subtextit Radulphus pro Deiparæ gloria; *Exaltavit itaque Christus dilectissimam Matrem suam sicut Cedrum in Libano, sicut Cupressum in monte Sion, & sicut Palmam in Cades: quia eam in via super altitudinem Fidei, Spei, & Charitatis, ceterarumque virtutum omnium super excellenter exaltavit; & in patria super omnem Angelorum & Archangelorum celsitudinem singulariter sublimavit. Decoravit quoque*

Pacis symbolum.

quàm

Radulphus

eam sicut plenitudinem rosa in Jericho, & sicut olivam speciosam in campis, & platanum exaltatum juxta aquam in plateis; quoniam eam etiam in via martyrii, & misericordiae, & magnanimitatis ceterarumque virtutum operibus decoravit.

S. Antoninus.

1638 Eadem de magna Matre interpretationi insillens S. Antoninus 3. p. Titulo 31. c. 3. §. 3. existimat congeri ab Ecclesiastico sex Deiparae ad caelos sumptae exaltationes. Prima quasi Cedrus in Libano, id est, super omnes Angelorum choros. Secunda quasi Cypressus in monte Sion, id est, super omnes Prophetas. Tertia quasi palma in Cades, id est, super Apostolos. Quarta quasi plantatio rosa in Jericho, id est, super omnes Martyres. Quinta, quasi olivae speciosa in campis, id est, super omnes Confessores. Sexta, quasi platanus id est, super omnes Virgines.

S. Thomas.

Consonat S. Thomas 10. 16. in Serm. de Assump. Virginis, ubi docet ex verbis Ecclesiastici, quae expendimus, Deiparam omnibus Sanctorum meritis commulata, Angelorum, qui significantur per Cedrum; Patriarcharum, & Prophetarum, qui per Cypressum; Apostolorum, qui per palmam; Martyrum, qui per rosam; Confessorum, qui per olivam; Virginum, qui per Platanum. Ad stipulatur Jacob. de Vo agne Archiepiscopus Januensis Serm. 206. qui est tertius de Assumpt. B. Virginis, ubi late ostendit, sex positas differentias arborum ab Ecclesiastico. quia in caelestipatria sex sunt ordines Beatorum, scilicet Virgines, Confessores, Martyres, Apostoli, Prophetae, & Patriarchae, quos omnes, & singulas Virgo Maria in sua ascensione visitavit, & visitando percussit, & percurrendo transcendit.

Jacob. de Voragine.

1639 Ex numeratis Auctoribus nonnulli, ut apparet, advertunt, Christum & Deiparam in illis symbolicis laudibus considerandos non in se ipsis dumtaxat, sed in suis quoque membris, seu Sanctorum ordinibus, in quibus & per quos Jesus & Maria nimio opere exaltantur. Sic etiam illa Christi imago, & encomia divinissima, de quibus Cant. 5. a v. 10. ad finem usque capitis, non solum Christum, prout in se est, expriment, sed etiam, prout in suis praecleara & excellentia operatur. Qua ratione interpretantur Nyssenus, Paulinus, Ambrosius, Gregorius Magnus, Philo Carpathius, Guilielmus, & Honorius relati a nostro Del Rio ibi in littera, & in tropologia, observatque ibidem noster Alcazar, & in Apocalypsi c. 1. v. 10. & in c. 10. Est enim Ticonii regula a S. Augustino relata & commendata lib. 3. de Doctrin. Christ. c. 31. aliquando sacram Scripturam de Christo & Ecclesia loqui, quasi de unica persona. Unde lux conciliatur Isaiae verbis c. 49. 6. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. De Christi verba sunt, & ad Christum directa, tamen ea sibi Apostoli applicant, tanquam ipsius Christi ministri & membra in illis mirabilia operantis: ut claret ex Act. 13. 47. Sic praecepit nobis Dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae. Vide ibi nostros Lorinum, & Riberam in cap. 2. Zachariae numero suo 17. & 18. nec non S. Isidorum de summo bono cap. 25. His observatis, nostro jam argumeto n. 1604. breviter praefixo splendorem concilemus.

Sape Scriptura loquitur de Christo in suis consuetudine.

S. August.

Act. 13

TRACTATUS ASCETICUS, SIVE RELIGIOSUS,

Textum illustrans de exaltatione Christi, ac Deiparae gloriosissima, & multiplici in sacris Religiosorum Familiis, omnibus & singulis.

1640 REMISSIS jam iis, quae ad litterae corticem, & aliorum placita spectant, germanum utique illorum verborum sensum a me donatum putaverim, si id unum, juxta datum superius argumentum, & aurei filii deductionem, serio autem: videlicet Siracidem eo versuum ternario agere de requie Christi, & Deiparae gloriosissima, deque praestanti utriusque exaltatione in Religiosa Ecclesia, sacris nimirum Religiosorum familiis, quas apposuissimè sub illorum montium & locorum nomenclatura typicè intelligo; in quibus Iesus, & Maria arborum ad instar praestantissimorum omnimoda gloria, juxta cujusvis Religiosae familiae institutum, pulchramque varietatem magnificè exaltantur. Huic nostrae cogitationi, utpote recenti, etsi videam ex Interpretibus nullum perspicuè suffragari, non idcirco ea parvi pendenda: tum quia non omnis germana interpretatio uni vel alteri, id est, paucis Ecclesiastici enarratoribus concessa est: tum quia, cum nullum ex sanctis Patribus habeamus hujus libri elucidatorem; nobis planè, sicuti etiam prioribus expositoribus, major datur facultas; ut hujus sacrae Scripturae intellectum, qui germanior appareat, amplectamur. Igitur (quod felix,

felix, faustumque sit) ordior, credens futurum neminem, qui meam salutem in hac explicatione pietatem non laudet, ametque plurimum cum tantoperè cedat in Christi & Deiparae gloriam, & Religiosorum Familiarum commendationem omnium, atque singularum, quibus sacratam, dicatamque hanc meam Opellam volo.

SECTIO XXXIV.

Nostra interpretatio generatim stabilietur, & illustratur solide, & amane.

1641 Primò, quia id jure suo exigit rectus narrationis ordo, verborum coherencia, & acolutia. Cum enim Siracides praecedenti Versiculo perpetuam Christi, ac Deiparae in universali Ecclesia, Hispanienli signatum, requiem praedixisset, commodè subinde Religiosae meminit Ecclesiae, nec non & in ea Jesu & Mariae praestantem commendat exaltationem, quam multiplicem describit juxta multiplex Religiosi status institutum.

Religiosi instituti majestas & praestantia eximia.

S. Pelusio.

S. Bernar.

S. Nazian.

2. Thessal. 2. 12.

S. Iustinia.

Abb. Fuldenis.

1642 Secundò, id etiam suadet Religiosi instituti majestas in summo posita, supra quam exaggerari possit. Ecclesia pars selectior, & sapientior, appellantur familiae Religiosae a S. Nazian. Orat. 20. de laud. Basilii: Initiantur omnium excellentior & sublimior ordo, a S. Ignatio Martyre de Eccle. Hierar. c. 6. & S. Isidor. Pelusioti lib. 1. Epist. 129. Monachorum vitam vocat Vitam calo virtutes superiores praestantem. Et S. Bernar. in Apologia ad Guillelmum Abbatem; Ceterum quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quae in caelis est Jerusalem. Mitto innumera alia Monasticae vitae elogia: illud non praetermittam, quo honorantur Religiosi a S. Nazian. Orat. ad Julianum Praefect. Generis nostri primitiae appellantur, id est, quod pulchrius, quod praestantius in orthodoxa Ecclesia extat: cum intuitu, ut reor, ad Pauli verba, qui 2. ad Thessal. 2. 12. eosdem vocat Primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, & fide veritatis, vel, ut Syrus, Chryostomus, Theoph. & alii vertunt, per sanctificationem Spiritus, & fidem veritatis: quibus & ipsi excellunt, conspicui apparent, & homines sanctificant. Quid subinde? In qua (id est in quod, ut Graecè habetur) & vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitione gloriae Domini nostri Jesu Christi. Syrus legit: ut decor sitis Domino nostro Jesu Christo. Graecè; ut sitis Deo Jesu peculiaris hereditas. Ecce Christi in Religiosa Ecclesia, uti in selectiori, & sublimiori parte exaltatio gloriosissima. Ecce signatum qui sint in Ecclesia Jesu Christo decori & gloriae, sacrae videlicet Religiosorum familiae. Praeclearè igitur S. Laur. Justm. lib. de obedientia cap. 18. Inter cetera, quae gloriam Dei in terra praedicant, & Catholicam fidem infidelibus hominibus commendabilem reddunt, est socialis vita fidelium, eorum praecipue, qui spreto periuuri saeculi luxu in Monasteriorum claustris voluntarie servitutis se perpetuo dedicarunt voto. Vide ad Ephesios 1. 3. & cap. 2. v. 12. & 13. & 1. Corin. 2. 9. & ad Colossen. 1. 12. Et inde efficies, quam merito dicatur Christus Jesus exaltari in Religiosis familiis ut Cedrus in Libano, ut Cypressus in monte Sion, &c.

1643 Tertiò, quia haec arborum nomina conveniunt eminentioribus Christi membris, qui cum Apostolo dicere possunt: Nostra conversatio in caelis est: ut loquitur Abbas Fuldenis Rabanus Maurus. Ast tales sunt procul dubio Religiosi status professores, ac singulae Religiosorum familiae: eminentiora nempe Christi membra, caelestis in terris familia, ut eos appellat S. Hieronymus Epist. 41. ad Rufinum. Angelorum catus in corporibus mortalibus, Chryostomus. vocat Hom. 8. in Matth. Secesum conversationis a mundo universo, Monasticam vitam vocat S. Basil. Epist. ad Grego. Nazian. de vita in solitudine degenda: Conversationem plane caelestem, nihil deteriore Angelica. Chryostomus 1. 3. adversus vituperatores vitae Monasticae: Caestem in terra vitam, imitationem fidelium Angelorum. Cassiodorus in Ps. 103. In his ergo eminentioribus Christi membris, terrena fugientibus, caelestia sectantibus, Christus ipse exaltatus apparet, tanquam Cedrus in libano, tanquam Cupressus in monte Sion, tanquam Palma in Cades, &c. ubertim eis elargiens quod ipse habet, immortalitatem, rectitudinem, victoriam, umbram protectionis, aeternitatis odorem, & misericordiae oleum: & quidquid per eas arbores, & plantas symbolicè designatur; ita ut Christum ipsum vitam & moribus perfectissimè referant. Ut enim peregre regie Paschasius Abbas in Psal. 44. Quis non miretur quod fragilis sexus sic uno impetu gradiatur ad superna, ita ut adhuc intra mundum, jam extra carnem, extra mundum videatur esse virtutibus? Nec igitur mirum, quia concupivit Rex Dei Patris Filius speciem vestram, quia ipse reformavit in vobis imaginem, & similitudinem suam.

1644 Quartò, non fallar, si autem Christum Jesum Cruci affixum praedicari a Siracide mirificè exaltatum uti Cedrum in Libano, uti Cypressum in monte Sion, uti Palmam in Cades, uti rosae plantationem in Jericho, uti speciosam olivam in campo amoenò, uti Platanum in plateis. Cui cogitationi faveat ligna, quibus triumphale Crucis lignum dicitur compactum: Ligna Crucis, Palma, Cedrus, Cupressus, Oliva. Glossa in Clemen. 1. de summa Trinit. & Gregorius noster lib. 1. de Cruce, cap. 5. Partim consentit Hugo Carenis, ita: Et sicut Palma exaltata sum in Cades, id est, in Cruce. Et Rabanus Maurus: Sicut Platanus exaltata sum juxta aquam. Crux passionis Christi exaltata est juxta aquam. Hinc apparet, cur per illa speciatim loca, arbores, & plantas, Christi Jesu gloria in Religiosis spectatim familiis resplendeat. Sunt quippe Religiosi spirantes expirantis in Cruce Jesu imagines. Ferte igitur obsecro (ait S. Chryost. Hom. 69. in Matt.) ut facile videatis Monachorum, & Crucifixorum vitam. Jugis enim mortificatio, & quotidiana interni, atque externi hominis propter Deum mactatio, quam exercitationes aeternae adjunctam habent pro crucifixione, seu in Cruce morte in singulos dies irrogata computatur. Crux Monachorum, rigor Ordinis, aebat Caesarius Heisterbachius lib. 8. cap. 19.

Religiosi cum Christo crucifixi. S. Chryost.

Cassiodo.

Cruce signa.

Rabanus.

Hugo.

Celsarius.

N 4 Viden.